



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

## XIX.

**P**ONTIANVS, natione Roman<sup>9</sup>, ex patre Calpurnio, sedit annis 9. mens. 5. dieb. 2. Hic & Hippolytus presbyter exilio sunt deportati ab Alexandro de Sardinia insula Butiana, ibiq; defunctus, martyrio coronatus est 3. Kalend. Nouemb. Quem B. Fabianus adduxit cum clero per nauim, & sepeliuit in cimiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus dies 10.

## XX.

**A**NTHERVS, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annis 12. mense vno, dieb. 12. Hic martyrum gesta diligenter inquisiuit, & in Ecclesia recondidit. Martyrioq; coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 3. nonas Ianuar. Et cessauit Episcopatus dies 13.

## XXI.

**F**ABIANVS, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annis 14. mens. 11. dieb. 10. Hic regiones diuisit diaconibus, & fecit sex diaconos, qui septem Notariis imminerent. Eo tempore superuenit Nouatus ex Africa, & separauit Ecclesiam. Fabianus verò martyrio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti, via Appia, 13. Kalend. Februar. Et cessauit Episcopatus dies 6.

## XXII.

**C**ORNELIVS, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annis 2. mensibus 3. & dieb. 10. Qui Centum cellis pulsus est, & ibidē accepit à Cypriano martyre in carcere scriptam. Quo etiam loco decollatus, martyr effectus est. Cuius corpus noctu collegit B. Lucina cum clericis, & sepeliuit in crypta iuxta cimiterium Calixti, via Appia, in prædio suo. 18. Kalend. Octobris. Et cessauit Episcopatus diebus 35.

## XXIII.

**L**VCIVS, natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annis 3. mens. 7. dieb. 6. Hic in exilio fuit. Sed postea incolumis ad Ecclesiam suam reuersus præcepit, vt duo presbyteri, & tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent propter testimonium Ecclesiasticum. Qui etiam à Valeriano capite truncatus 3. nonas

Q 3

Mart.

Mart. sepultus est in cimiterio Calixti via Appia. 8. Kalend. Septemb. Et cessauit Episcopatus dies 35.

## XXIV.

**S**T E P H A N V S, natione Romanus, ex patre Iobio, sedit annis 6. mensib. 5. dieb. 2. Hic constituit sacerdotes & Leuitas, vt vestibus sacratis non nisi in Ecclesia vterentur. Martyrioq; coronatus sepultus est in cimiterio Callisti via Appia, 4. nonas Aug. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio.

## XXV.

**X**I S T V S, natione Græcus ex Philosopho, sedit anno 1. mens. 10. diebus 26. Martyrioq; coronatus sub Valeriano 8. Kalend. Aug. Post cuius passionem tertio die passus est B. Laurentius archidiaconus. Denique beatus Xistus sepultus est in cimiterio B. Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus diebus 35.

## XXVI.

**D**I O N Y S I V S, ex monachis; cuius generationem non potuimus reperire. sedit annis 6. mensibus 2. diebus 4. Hic presbyteris Ecclesias dedit, & cimiteria, & parrochias diocesis constituit. cuius depositio 6. Kalend. Ianuar. in cimiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus dies 5.

## XXVII.

**F**E L I X, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit annis 4. mensibus 3. dieb. 25. Qui constituit supra memorias martyrum Missas celebrari. Et fecit basilicam in via Aurelia, vbi martyrio coronatus, sepultus est, 3. Kalend. Iunii, milliario ab vrbe Roma secundo. Et cessauit Episcopatus, dies 5.

## XXVIII.

**E**V T H I C I A N V S, natione Thuscus, ex patre Marino, de ciuitate Lunæ, sedit annum vnum, mensem 1. diem 1. Hic constituit, vt fruges super altare tantum, fabæ & vix benedicerentur. Et sepultus est in cimiterio Calixti via Appia, 8. Kalend. Augusti. Et cessauit Episcopatus dies 8.

## XXIX.

**G**A I V S, natione Dalmatinus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaiō, sedit annis 11. mensibus 4. diebus 12. Hic consti-